SILLOGE DI ANTICHITÀ CLASSICA
I.

RUTILII CLAVDII NAMATIANI

DE REDITV SVO

LIBRI II



RECENSVIT
VINCENTIVS VSSANI



FLORENTIAE

IN AEDIBVS FR. PERRELLAE
M·DCCCC·XX·I



Estratto dalla *Rassegna italiana di lingue e letterature classiche*
Anno II (1920) Num. 3-4-5.

RVTILII CLAVDII (vel CLAVDII RVTILII) NAMATIANI
DE REDITV SVO
RECENSVIT

VINCENTIVS VSSANI

PRAEFATIO.

Rutili Claudi uel Claudi Rutili Namatiani, nam de ordine nominum codices testesque antiquissimi discrepant, poemation quo Gallus (u. 20) poeta haud ignobilis, qui Romae honorum cursum usque ad praefecturam Vrbis (u. 157-160) totum emensus erat, suum in uastatam a barbaris patriam reditum anno a. u. c. 1169=416 p. C. n. (u. 135-136) descripsit, totum quod dicunt medium aeuum latuit et tandem renascentibus, vel potius iam renatis litteris, a Georgio Galbiato a. 1493 in uetusto codice Bobiensi detectum est, cum, ut ipse ait (1), in coenobio diui Columbani chronica et Caesarum diplomata euolueret quo uberiorem materiam Georgio Merulae pararet qui gentis nobilissimae Vicecomitum historiam conscribere aggressus esset. constat librum istum Langobardicis quos dicunt characteribus exaratum, in eodem coenobio remansisse, donec a Bonneualo Francogallo mercennario milite, qui Eugenio principe

(1) Cf. Terentianum Maurum a Lachmanno editum (Berolini, 1836) p. IV. ante Galbiatum Laurentium Vallensem codicem uidisse Rutiliumque legisse eumque verbis paene reddidisse in prooemio librorum qui inscribuntur *De linguae latinae elegantia* contendi in *Rivista di Filologia*, 1916 p. 41 et sqq.

duce stipendia in Italia merebat, a. 1706 p. Ch. n. subreptus est (1). nec postea usquam comparuit.

Sed apographon codicis iam anno 1496 Thomas Inghirami Volaterranus, cui Phaedri cognomen inditum, descripserat Romamque aduexerat: qua re factum est, si communi doctorum opinioni accedere uolumus, ut Rutili itinerarium innotesceret saeculo XV exeunte uel XVI ineunte, cuius aetatis litterarum ductus scripturasque prae se ferunt codices Rutiliani qui ad nos peruenerunt, scilicet Vindobonensis 277, olim 387, et Romanus in bybliotheca ducis Caietani de Sermoneta adseruatus. eodem paene loco quo hi libri manu scripti, libri excusi habendi sunt qui circa id tempus uel paulo post in lucem prodierunt, cum non ex nostris exemplaribus, sed ex aliis quibusdam deperditis fluxerint. ex quibus priorem locum iure sibi uindicat editio princeps Bononiae anno 1520 emissa, alterum editio Romana tribus tantum annis posterior, tertium editio Onuphri Panuini quae in commentariis de urbe imperio et ciuitate Romana Venetiis a. 1558 editis continetur.

Codicem Vindobonensem (V) Iacobus Sannazarius, poeta inter Italos nobilissimus, conficiendum curauit, qui scribae cuidam transscribendum tradidit. Hic (V^1) ut litterarum comparatione diligenti instituta Georgius Heidrich (2) statuit, cum uersus 1-242 libri prioris scripsisset, inepte uersus 415-456 subiunxit. quod cum Sannazarius (V^2) animaduertisset, lacunam suppleuit, menda quaedam correxit, ipse priorem carminis librum usque ad finem exarauit, marginibus uarias lectiones aut coniecturas aliquot adscripsit, quibus f. litteram (= fortasse? fiat? fuit?) adposuit. Sannazari manum in codice tertia manus (V^3) excipit, quae prioris libri subscriptionem et alterius fragmentum descripsit. complurium correctorum coniecturas aut uarias lectiones compluribus manibus marginibus adspersas, quarum aliis eadem. f. littera addita, aliis addita postea deleta est, uno eodemque siglo v notaui.

Codicem Romanum (R) A. Bontadosi uir antiquitatis amantissimus possedit, qui a. 1880 obiit: cuius ad manus quomodo uenerit nescimus. eodem anno in bybliothecam Caietanorum donatus deuenit ibique a se inuentum nuntiauit A. Elter in Museo Rhenano XLVI (1891) p. 112. adn. 3. Caroli Hosii collatio est in Museo Rhenano

(1) Cf. A. Peyron — *Ciceronis orationum fragmenta inedita* (Stuttgardiae et Tubingae 1824) p. XX.

(2) Cf. *Claudius Rutilius Namatianus.* Mit Einleitung und kritischem Apparat herausgegeben von Dr. Georg Heidrich. Wien und Leipzig, 1912.

LI (1896) p. 195 sqq. qua est Caietana domus erga eruditos homines humanitate, mihi ipsi codicis Romani Romae inspiciendi copia data est, quem Vindobonensis fere aequalem litterae ostendunt. codicis scriptor se ipsum Ioannem Andream Crucianum uocat Sabinumque se dicit. ad eundem hominem, parum idoneo fretus fundamento, A. Elter rettulit quae in folio membranaceo codici chartaceo 522 bybliothecae Angelicae adsuto leguntur (1).

De tribus quoque editionibus, Bononiensi Romana Veneta pauca dicam. Bononiensis libellus (B), qui ex officina Hieronymi de Benedictis a. 1520 prodiit, quinque quaterniones litteris A, B, C, D, E, distinctos continet; in fronte haec habet: *Claudius Rutilius poe- | ta priscus de laudi | bus urbis, Etruriae | et Italiae;* eum curauit Ioannes Baptista Pius, qui se clientem Leonis X Pontificis illius de bonis artibus bene meritissimi profitetur. singula libelli exemplaria adhuc adseruari, quinque in urbibus, Gottingae, Aquis Sextiis, Romae (in bybliotheca Angelica) Londini (in Museo Britannico) Vindobonae (in Athenaei bybliotheca) Georgius Heidrich o. l. p. 23 auctor est, nempe et exemplaris Berolinensis oblitus, de quo Carolus Hosius egit l. l. p. 178 adn. 1, et ignarus codicis qui est in bybliotheca Romana quae Victori Emmanuelis nomine nuncupatur. Romana exemplaria in bybliotheca Angelica (q. 3. 25) et in bybliotheca Victoriana (Misc. B. 260. 19) ipse inspexi.

Editio Romana (M) anno 1523 emissa est. continetur in libro quem Iacobus Mazochius inscripsit *De Roma prisca et nova uarii auctores* et misit Hadriano VI pontifici maximo. huius libri exemplar Romae in bybliotheca Angelica adseruatum, signatum E E 21. 56, ipse contuli.

Onuphri Panuini editio (P) in Commentariis reipublicae Romanae, p. 259-286, aliquanto recentior, cum Venetiis ex officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisium, anno 1558, ut supra diximus, prodierit. sed doctum illum uirum manuscripto aliquo libro usum esse neque eius libellum ex superioribus Bononiensi et Romano totum pendere luce clarius demonstrant u. 575-578 prioris libri Rutiliani qui hic primum typis mandati sunt, praeterea

---

(1) Verba haec sunt: *Morituri sumus quid inflaris? Datum dei est. Dominus dedit Dominus abstulit. Sic Deo placuit. Sit nomen Domini Benedictum. Ex hoc nunc et usque in Seculum Amen. Anno desolationis nostrae M°.CCCC°XXVII die Xmbris X^a In Sancto Andrea de Carpineto quum illuc morabar propter aduentum uolentium terram Cassam siue Cassiam oppugnare.* Scriptoris nomen frustra quaeres. Infra est taenia illarum similis quae Cruciani nomen in R continent.

ipsius Panuini uerba (p. 258): *Nam etsi multis annis antea, semel excusus fuerit, paulatim tamen annis eius memoria obliuioni ita tradita erat, perinde ac si numquam fuisset. Eum autem et multis librariorum uitio obortis erroribus sublatis, emendatum, et aliquot uersibus qui in uulgato deerant locupletatum, Gabrielis Faerni uiri optimi, doctissimi, poetarumque omnium nostro saeculo celeberrimi opera, denuo in lucem dare decreui.* qui autem liber excusus Panuinio praesto fuerit, utrum Bononiensis an Romanus, mihi non liquere candide fateor.

Praeter codices atque editiones testem alium Rutili habemus Lilium Gregorium Gyraldum, qui in Historiae poetarum tam Graecorum quam Latinorum dialogo VIII (Basileae 1545 p. 923-924) narrat se uidisse *opusculum elego carmine compositum, Rutilii Claudii Numatiani Galli, ad Venereum Ruffinum hodoeporicon, non indignum ut legatur*, Rutilium dicit *cum ex eius poemate tum ex inscriptione ipsius apparere Gallum natione, uirum consularem, urbis praefectum, tribunum militum, et praefectum praetorio fuisse,* uersus deuerticuli contra Stilichonem II 41-44, 51-56 laudat. quae hic addit *imperfectus ipsius itineris alter libellus est, ultra Lunam enim urbem, quae a me uisa sunt exemplaria, non procedunt* magni esse preti uidentur. Nam lectiones u. 42 *qui,* u. 51 *grassatus*, nisi arbitrio ingenioque ipsius Gyraldi tribuantur, tota uoce clamant alia ac nostra exemplaria uirum illum antiquitatis amantissimum habuisse ante oculos (1).

Libros manuscriptos et impressos ex Bobiensi codice uel ex eius apographo Romam a Phaedro aduecto omnes fluxisse, uirorum doctorum, ut supra diximus, communis opinio est (2). quam refellere mihi in animo non est, dum inter illum uetustissimum testem, aut

---

(1) Burmannus (*Poet. Lat. Min.* II p. 5) Rutilianas lectiones ex libro Leandri Alberti Bononiensis qui inscribitur *Descrittione di tutta Italia* et Venetiis primum foras datus est a. 1551, excerpendas censuit. Ego uero, diligenter perpensis Rutili locis quos Leander laudat, persuasum habeo illum editionem adhibuisse Bononiensem cum eundem quem illa ordinem nominum *Claudium Rutilium* praebeat. Qui ordo etiam in codice Romani seruatur, sed lectionem *fraudauit* (I 407) cum libris impressis Leander communem habet quod mendum a codice Romano abest.

Ceterum Leander u. 405 *speculum*, u. 566 *Auser* habet.

(2) Non ex Bobiensi codice, sed ex alio in Gallia inuento Sannazarium Vindobonensem codicem descripsisse, O. uon Gebhardt (*Zentralblatt für Bibliothekwesen* 1888, p. 396 sqq.) nuper contendit. Cf. etiam Burmannum in praef. Poetarum Lat. Min. et Wernsdorfium in praefatione Rutilii sui, qui est in quinto Poetarum Lat. Min. uolumine p. 41 sqq.

apographum, nostrosque codices neque unum tantum neque idem exemplar medium intercessisse persuasum habeas. codex enim Romanus neque Vindobonensis est gemellus neque tam similis ut ex uno eodemque exemplari descriptum utrumque existimare possis. sed ne ulla quidem ratione euinci potest fieri non potuisse ut eodem fere tempore quo Bobiensis manuscriptus alter liber in manus hominum ueniret, cum Bobiensi artis uinculis coniunctus, cuius memoria deinde intercideret. de libris impressis non aliter sentio: quam ob rem in incerto haeret, quo duce, quo Lare novus editor tueri se debeat. cum dubium uix sit quin codex Romanus ab homine si non litterarum imperito non eo tamen qui cum Sannazario comparetur descriptus, mendis pluribus quam Vindobonensis foedetur, sed emendationibus uel corruptelis consulto inlatis ob eandem causam minime laboret, mihi, ut Francogallo Vessereau, pluris faciendus uisus est quam ceteris editoribus eiusque aliquot lectiones quasi potiores recepi, ut u. 14 *ueneratur*. u. 175 *imitatio* v. 529 *similis*. etiam libros impressos non neglegendos censui, quorum lectiones inuitis codicibus in u. 67, 230 tutatus sum, normam lectionis, quam dicunt, difficilioris secutus. cauendum enim est ne libros saeculo XVI impressos non eadem fide dignemur qua codices eadem fere aetate exaratos. sed in uniuersum codicem Vindobonensem tamquam ducem secutus sum, ueritus ne nimio nouitatis amore a superioribus editoribus uiderer defecisse.

Constituendi apparatus hanc legem religiose seruaui ut lectiones nullius preti omitterem, superuacanea non detererem, sed ferro reciderem ne impedimento magis quam adiumento essent lectori. quantum ad orthographiam spectat, perpaucas tantum uerborum scripturas quas mirum in modum congruentes praeberent codices uel excusi libri in apparatu protuli cum spes mihi uix sana uisa esset scriptores codicum qui post renatas bonas artes exarati essent, ipsas poetae aut saltem archetypi sui litteras suis fideliter litteris reddidisse. in textu scripturas *Tybris* (u. 151. 180) *satyra* (u. 603) confidenter recepi, utpote cum Rutilianis temporibus frequentatas tum testimoniis codicum editionumque quae adhibui, firmatas: dubitaui an etiam *thuscus* scriberem, cum hanc scripturam ex origine uerbi ἀπὸ τοῦ θύειν, qualis a Seruio (1) memoriae traditur, constaret eadem aetate uulgatam esse, *Thuscis* u. I 495 V^2R haberent, praeterea R u. 39 *Thuscis*, u. 582 *Thuscorum*, u. 586 *Thuscos*. fortasse etiam in

(1) *Ad Aen.* II 781, VIII 479.

u. 13 *Religiosa* cum V[1]RMP, in u. 312 *recidit* cum V[2]RP, in u. 390 *religione* cum RP typis mandare debui, sed in hac quoque re timori cessi ne nimius nouitatis amator exsisterem. *quotiens* et *totiens, squalere, milia* ubique, iudicio meo usus, scripsi cum in his uerbis neuter codex sibi constaret, cuius, ut ita dicam, uestigiis insisterem. cetera de genere hoc apud Heidrich cernere poteris (2).

Antequam huius praefatiunculae finem facio, praeter Pium Mazochium Panuinium antiquissimos carminis editores, quosdam alios commemorare operae pretium est, quorum nomina hic illic in apparatu coniecturis emendationibusque apposita reperientur: Iosiam Simler (Basileae 1575), Iosephum Castiglione (Romae 1582), Petrum Pithou (cf. Epigrammata et Poematia uetera, Parisiis 1590), Casparem Barth (Francofurti 1623), Th. Ians. ab Almeloueen (Amstelaedami 1687), Petrum Burmann (Poetae Latini minores II p. 3 sqq. Lugduni Batauorum 1731). Christ. Tob. Damm (Brandenburgi 1760), Ioannem Christianum Kapp (Erlangae 1786), Io. Christianum Wernsdorf (Poetae Latini minores V pars I Altenburgi 1788) A. W. Zumpt (Berolini 1840), Lucianum Mueller (Lipsiae 1870), Aemilium Baehrens (Poetae Latini minores V p. 1 sqq. Lipsiae 1883), Carolum Haines Keene (Londini 1907). praeterea utiles symbolas criticas contulerunt ex uetustioribus Cuper et Heinsius, e recentioribus in censuris alienorum operum R. Helm (3) et I. Tolkiehn (1). fortasse ego oleum et operam omnino non perdidi dissertatiuncula a. 1911 emissa (2). ad poetam illustrandum magis quam restituendum prodest illud uere μέγα βιβλίον Francogalli I. Vessereau, Lutetiae Parisiorum a. 1904 foras datum; optimam et M. Maniti laudati uiri laudibus celebratam (3) collationem codicis Vindobonensis Georgi Heidrich libellus continet quem supra saepe commemorauimus.

Sed iam tempus est Rutilium ipsum canentem audire (4).

---

(1) O. l. p. 33-34.
(2) *Berlin. Philolog. Wochensch.* 1909 col. 552 sqq., 1911 col. 556 sqq.; *Wochensch. f. klass. Philologie* 1911 col. 1315 sqq.
(3) *Wochensch. f. klass. Philologie* 1911 col. 1217 sq.
(4) *Rivista di filologia e d'istruzione classica*, 1910 p. 357 sqq.
(5) *Wochenschrift f. klass. Philologie* 1912 col. 1094-1095.
(6) Aegri somnia nuper somniauit H. Schenkl, ut iam Vollmerus apud Pauly-Wissowa (*Real-Encyclopädie* Ser. II. col. 1252) animadvertit, cum Rutilium Christicolam fuisse in Museo Rhenano LVI, 1911, pp. 393-416 contendit. Solis eum potius religioni addictum esse et nouorum Platonicorum sectae adhaesisse censeas, perpensis uersibus 53-56, 235-236, 259-260, praeterea iis quae leguntur de genio domini id est imperatoris u. 16, 328. amicus eius Rufius Volusianus (u. 168 sqq.) gentis fuit plurimae in deorum Cybelae et Attidis honorem (cf. Graillot — *Le culte de Cybèle* p. 167 adn. 4) quorum ritus cum Solis coaluisse idem Graillot luculente demonstratuit.

RVTILII CLAVDII (vel CLAVDII RVTILII) NAMATIANI
DE REDITV SVO

CONSPECTVS SIGLORVM

V = codex Vindobonensis 277.

V^1 = manus quae in Vindobonensi codice u. I 1-242, 415-456 scripsit saec. XVI ineuntis.

V^2 = manus Sannazari qua in Vindobonensi codice u. I. 243-414, 457-644 scripti sunt, correcturae aliquot in V^1 inlatae, uariae lectiones quaedam in margine adscriptae.

V^3 = manus quae in Vindobonensi codice v. II 1-68 scripsit; saec. XVI.

v = correcturae et uariae lectiones non a Sannazari manu profectae; saec. XVI.

R = codex Romanus; saec. XVI ineuntis.

B = editio Bononiensis princeps; a. 1520.

M = editio Mazochi Romana; a. 1523.

P = editio Pannini in Reipublicae commentariis; a 1558

a. c. = *ante correcturam.*

p. c. = *post correcturam.*

RVTILII CLAVDII (vel CLAVDII RVTILII) NAMATIANI
DE REDITV SVO

LIBER I.

* * *

Velocem potius reditum mirabere, lector,
   Tam cito Romuleis posse carere bonis.
Quid longum toto Romam uenerantibus aeuo?
   Nil umquam longum est, quod sine fine placet.
O quantum et quotiens possum numerare beatos,
   Nasci felici qui meruere solo,
Qui Romanorum procerum generosa propago
   Ingenitum cumulant urbis honore decus!
Semina uirtutum demissa et tradita caelo
   Non potuere aliis dignius esse locis.
Felices etiam, qui proxima munera primis
   Sortiti Latias optinuere domos:
Relligiosa patet peregrinae curia laudi,
   Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio collegarumque fruuntur
   Et partem genii, quem ueneratur, habent:

Ex fragmentis Rutilii claudii Namatiani de reditu suo e Roma. In Galliam Narbonens(*em*) V Claudii Rutilii Poetae Di(*gnissimi*) R Claudius Rutilius poe | ta priscus de laudi | bus urbis, Etruriae, | et Italiae *in fronte operis totius, sed ante librum priorem* Ad Venerium Rufium Rutilii Clau | dii Numatiani Galli, uiri con | sularis, praefectorii urbis, | tribuni militum : praefe | cti praetorio. Liber | primus | cui titulus Itinerarium B Rutilii Claud. Numantii poema *in conspectu auctorum* Liber primus | Ad Venerium Rufium Rutilii | Claudii Numatiani Galli Viri consularis prae | fectorii urbis tribuni Militum, prae | fecti praetorio Liber | Primus | Cui titulus Itinerarium *in fronte operis* M Rutilii. Claudii. Numatiani | Galli, uiri. consularis | praefectorii. urbis. tribuni | militum. praefecti | praetorio | liber. primus | cui. titulus. itinerarium | ad. Venerium. Rufum P *Aliquot versus desunt quorum sententia fuit hominibus miraculo esse non debere quod tam diu Rutilius a patria abesse potuisset.* 5 possem BMP 12 optin. V[1] 13 Religiosa V[1]RMP curia] gloria R; *cf. Claud., De laud. Stil. III 35 et sqq.* 15 feruntur V[1] fruuntur *mg.* V[2] uenerantur V[1]BMP

Quale per aethereos mundani uerticis axis
Concilium summi credimus esse dei.
At mea dilectis fortuna reuellitur oris,
Indigenamque suum Gallica rura uocant,
Illa quidem longis nimium deformia bellis,
Sed quam grata minus, tam ueneranda magis.
Securos leuius crimen contemnere ciues:
Priuatam repetunt publica damna fidem.
Praesentes lacrimas tectis debemus auitis:
Prodest admonitus saepe dolore labor.
Nec fas ulterius longas nescire ruinas,
Quas mora suspensae multiplicauit opis:
Iam tempus laceris post saeua incendia fundis
Vel pastorales aedificare casas.
Ipsi quin etiam fontes si mittere uocem
Ipsaque si possent arbuta nostra loqui,
Cessantem iustis poterant urgere querelis
Et desideriis addere uela meis.
Iam iam laxatis carae complexibus urbis
Vincimur et serum uix toleramus iter.
Electum pelagus, quoniam terrena uiarum
Plana madent fluuiis, cautibus alta rigent.
Postquam Tuscus ager postquamque Aurelius agger
Perpessus Geticas ense uel igne manus
Non siluas domibus, non flumina ponte cohercet,
Incerto satius credere uela mari.
Crebra relinquendis infigimus oscula portis:
Inuiti superant limina sacra pedes.
Oramus ueniam lacrimis et laude litamus,
In quantum fletus currere uerba sinit:
'Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos,
Exaudi, genetrix hominum genetrixque deorum:
Non procul a caelo per tua templa sumus.

---

17 aetherios V^1BMP axis *sic* R axes *ceteri* 18 Connubium BMP 22 miseranda V^1BMP 23 Secures V^1 *corr.* v 29 saeva] longa BMP 32 arbusta *inuito metro* P 34 add.] reddere BMP 35 carae] e re (*inter* e *et* re *lacuna quattuor litterarum*) R; *malim* sacrae; *cf. u. 417* 39 – que *om.* R postquamquam P thuscus R A(a M)urellius BM 41 coercet P 43 reliqu. BP 49 genitrix, genitrixque V^1

Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus:
Sospes nemo potest inmemor esse tui.
Obruerint citius scelerata obliuia Solem,
Quam tuus ex nostro corde recedat honos.
Nam Solis radiis aequalia munera tendis,
Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Voluitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus
Eque tuis ortus in tua condit equos.
Te non flammigeris Libye tardauit harenis,
Non armata suo reppulit Vrsa gelu:
Quantum uitalis natura tetendit in axes,
Tantum uirtuti peruia terra tuae.
Fecisti patriam diuersis gentibus unam:
Profuit iniustis te dominante capi.
Dumque offers uictis proprii consortia iuris,
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.
Auctorem generis Venerem Martemque fatemur,
Aeneadum matrem Romulidumque patrem:
Mitigat armatas uictrix clementia uires,
Conuenit in mores numen utrumque tuos:
Hinc tibi certandi bona parcendique uoluptas
Quos timuit superat, quos superauit amat.
Inuentrix oleae colitur uinique repertor
Et qui primus humo pressit aratra puer,
Aras Paeoniam meruit medicina per artem,
Fretus et Alcides mobilitate deus:
Tu quoque, legiferis mundum complexa triumphis,
Foedere communi uiuere cuncta facis.
Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus
Pacificoque gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quae seruant sidera motus,
Nullum uiderunt pulchrius imperium.
Quid simile Assyriis connectere contigit armis?

---

52 Hospes *Cuper* 53 Solem = *Solem deum* 58 ortas R ortos *Castalio* 59 lybie V[1] Libiae RM haren. *hic* V[1]RBM 60 repulit V[1]M 61 uitales R tendit V[1] *a. c.*, R 64 inustis R 67 Auctores V[1] Autores R 68 Eniadum V[1] romuliumque P 70 nomen V[1]RBMP *corr. Barth* 71 bona] par *Baehrens* parc.] certandique *iterum* R. 76 Fretus] Factus. f. *mg.* v nobilitate V[1]RBMP *cf. u. 222; corr. Castalio* deus] donis V[1] *corr.* V[2] 80 Paciferoque R 83 assir. R conn. *sic* V[1]RBMP arma BMP

Medi, finitimos cum domuere suos,
Magni Parthorum reges Macetumqne tyranni
Mutua per uarias iura dedere uices.
Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,
Sed plus consilii iudiciique fuit.
Iustis bellorum causis nec pace superba
Nobilis ad summas gloria uenit opes.
Quod regnas minus est quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.
Percensere labor densis decora alta trophaeis,
Vt si quis stellas pernumerare uelit;
Confunduntque uagos delubra micantia uisus;
Ipsos crediderim sic habitare deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice riuos,
Qua uix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas creuisse in sidera montes;
Tale Giganteum Graecia laudet opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris;
Consumunt totos celsa lauacra lacus.
Nec minus et propriis celebrantur roscida uenis
Totaque natiuo moenia fonte sonant.
Frigidus aestiuas hinc temperat halitus auras:
Innocuamque leuat purior unda sitim.
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
Rupit Tarpeias hoste premente uias.
Si foret aeternus, casum fortasse putarem:
Auxilio fluxit, qui rediturus erat.
Quid loquar inclusas inter laquearia siluas,
Vernula quae uario carmine ludat auis?
Vere tuo numquam mulceri desinit annus;
Deliciasque tuas uicta tuetur hiems.

---

84 quum R condomuere *uno uerbo Müller* 85 Magni *om.* V^1 *suppl.* V^2; *mg.* ipsi. f. *sed del.* v Partor. R macedumque V^1RBMP *corr. Pithoeus* *Infra u. 86 in mg. infer. f. 3(5)u.* R *maioribus litteris scriptum praebet* Delia: B *inferius iterum* Diana: B *quae glossemata fortasse ad u. 75 Hippolytique fabulam referas. Cf. Verg., Aen.* VII 770 91 quod quam R 92 facta V^1RBM 93 Recens. V^1 *corr.* V^2 97 loquor R 98 tolerat V^1 tollerat. f. tolleret *mg.* V^2 99 sidere V^1 sidera. f. *mg.* v 100 gigantaeum BMP laudat RBMP, (e *s.* a *alterum*) V^1 101 interrepta R 105 hic *R* 109 externus R 112 Vernulaq. *uno uerbo* M qua P uaria R ludit P 113 ann.] amnis R 114 hyems V^1RB hiemps P

Erige crinales lauros seniumque sacrati
Verticis in uirides, Roma, refinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
Perpetuosque ignes aureus umbo uomat.
Abscondat tristem deleta iniuria casum:
Contemptus solidet uulnera clausa dolor.
Aduersis solemne tuis sperare secunda:
Exemplo caeli ditia damna subis.
Astrorum flammae renouant occasibus ortus;
Lunam finiri cernis, ut incipiat.
Victoris Brenni non distulit Allia poenam;
Samnis seruitio foedera saeua luit;
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti;
Fleuit successus Hannibal ipse suos:
Quae mergi nequeunt, nixu maiore resurgunt
Exiliuntque imis altius acta uadis,
Vtque nouas uires fax inclinata resumit,
Clarior ex humili sorte superna petis.
Porrige uicturas Romana in saecula leges
Solaque fatales non uereare colos,
Quamuis sedecies denis et mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus eat.
Quae restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terrae, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cetera regna resoluit:
Ordo renascendi est crescere posse malis.
Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis:
Summittant trepidi perfida colla Getae.
Ditia pacatae dent uectigalia terrae:
Impleat augustos barbara praeda sinus.

116 recinge V¹RBMP *corr. Heinsius* 117 radiant (e *s.* a *alt.* v *sed del.*) V¹ radient. f. *mg.* v 120 Contentus R 121 Aduersus solem ne uis V¹BMP Aduersus solem neuis R *corr. Simler* tuis] tibi *Burmann* 122 Extemplo R 123 nouant V¹ renouant. f. *mg.* v ronauant R 124 *post* incipiat *rasura in* R 125 Brēni (r *in corr. a* V²) V¹ Brenni *mg.* V² Breni BMP bromij R alia R poenum V¹ poenam. f. *mg.* v penum R paenum BM Poenum P 126 Sannus R 127 pyrrum R Pirrhum M 128 Annibal BM anibal R 129 nisu V¹ nixu V² *mg. postea deletum* 130 imis] milis R, *unde* udis *uel* salis *conicias* alta V¹RBMP acta. f. *mg* v 133 roma R *unde* Roma, in tua *conicias* 135 sexdecies V¹ *corr.* v 136 nouus R (?) M erat RMP 139 rep.] rapiat R 142 gethe (th *in ras.*) R

Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque suam fertilis orbis alat.
Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo diues, sed magis imbre tuo.
Interea et Latiis consurgant horrea sulcis,
Pinguiaque Hesperio nectare prela fluant.
Ipse triumphali redimitus arundine Tybris
Romuleis famulas usibus aptet aquas;
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Deuehat hinc ruris, subuehat inde maris.
Pande, precor, gemino placatum Castore pontum,
Temperet aequoream dux Cytherea uiam;
Si non displicui, regerem cum iura Quirini,
Si colui sanctos consuluique patres.
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,
Non sit praefecti gloria, sed populi.
Siue datur patriis uitam componere terris,
Siue oculis umquam restituere meis:
Fortunatus agam uotoque beatior omni,
Semper digneris si meminisse mei.'
His dictis iter arripimus. comitantur amici:
Non possum sicca dicere luce 'uale'.
Iamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti
Rufius, Albini gloria uina patris;
Qui Volusi antiquo deriuat stemmate nomen
Et reges Rutulos teste Marone refert.
Huius facundae commissa Palatia linguae;
Primaeuus meruit principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos pro consule Poenos;
Aequalis Tyriis terror amorque fuit.
Sedula promisit summos imitatio fasces:
Si fas est meritis fidere, consul erit.

---

145 rhenus (h *in ras.*) R R(r M)enus BM 147 foec. VBMP fec. R Aphrica R 148 hibre V[1] hẏbre R 149 et *om.* B 150 pr.[plura R 151 redimus RM Tybris V[1]RBM Tibris P 152 ossibus BMP 153 comertia V[1] comentia R 154 subu.] subeat R subueat M muris V[1] *corr. uerbumque in mg. iterauit* V[2] 155 pacatum V[1] portum V[1] potum R 156 Tempera et *Baehrens* Cytharea R Cytheraea BP 158 consiliumque R 159 strixerunt R 166 Dicere non possum (t *s.* m) lumine (a *s.* e) sicco (a *s.* o) uale V[1] Dicere non possum lumina sic Vale R 170 Rutulis V[1] rutilos R 172 populo R 175 imitantia V[1] imitatio *mg.* V[2] *postea del.*

Inuitum tristis tandem remeare coegi:
Corpore diuisos mens tamen una tenet.
Tum demum ad naues gradior, qua fronte bicorni
Diuiduus Tybris dexteriora secat.
Laeuus inaccessis fluuius uitatur arenis;
Hospitis Aeneae gloria sola manet.
Et iam nocturnis spatium laxauerat horis
Phoebus Chelarum pallidiore polo.
Cunctamur tentare salum portuque sedemus,
Nec piget oppositis otia ferre moris,
Occidua infido dum saeuit gurgite Plias;
Dumque procellosi temporis ira cadet,
Respectare iuuat uicinam saepius urbem
Et montes uisu deficiente sequi,
Quaque duces, oculi grata regione fruuntur,
Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
Qui dominas arces et caput orbis habet
(Quamquam signa leuis fumi commendat Homerus,
Dilecto quotiens surgit in astra solo);
Sed caeli plaga candidior tractusque serenus
Signat septenis culmina clara iugis.
Illic perpetui soles, atque ipse uidetur
Quem sibi Roma facit purior esse dies.
Saepius attonitae resonant Circensibus aures;
Nuntiat accensus plena theatra fauor.
Pulsato notae redduntur ab aethere uoces,
Vel quia perueniunt uel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi ter quinque diebus,
Dum melior lunae fideret aura nouae.
Tum discessurus studiis urbique remitto
Palladium, generis spemque decusque mei.

---

178 diuiso BM teret V[1] tenet. f. (*del.* f) *mg.* v fuit BMP 179 dem.] tantum R 180 Tyberis VBM tibris R Tiberis P; *cf. u. 151* sec.] petit R 181 Leuus V[1] (*ex*-is), RBMP laeuus. f. (*del.* f) *mg.* v in acc. RM harenis BMP; *cf. u. 59* 182 eneae V[1] 185 sal.] solo R solum BMP 188 procelloso (*nempe* gurgite) R cadit V[1]RBMP calet *Müller* cadet *ego* 192 capiunt V[1]*corr.* v cupiunt. f. (*del* f) *mg.* v 197 tractuque V[1] *corr.* v tractusq; f(*del.* f) *mg.* v 200 tibi P 203 ad aethera BMP 208 Palladiam RBM

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori.
Ille meae secum dulcissima uincula curae,
Filius affectu, stirpe propinquus, habet:
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amare docet;
Leges restituit libertatemque reducit
Et seruos famulis non sinit esse suis.
Soluimus aurorae dubio, quo tempore primum
Agnosci patitur redditus arua color.
Progredimur paruis per litora proxima cymbis,
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aestiuos penetrent oneraria carbasa fluctus:
Tutior autumnus mobilitate fugae.
Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt;
Nunc uillae grandes, oppida parua prius.
Iam Ceretanos demonstrat nauita fines:
Aeuo deposuit nomen Agilla uetus.
Stringimus <effetum hinc> et fluctu et tempore Castrum:
Index semiruti porta uetusta loci.
Praesidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali numina fronte gerit:
Multa licet priscum nomen deleuerit aetas,
Hoc Inui Castrum fama fuisse putat,
Seu Pan Tyrrhenis mutauit Maenala siluis
Siue sinus patrios incola Faunus init.
Dum renouat largo mortalia semina fetu,
Fingitur in Venerem pronior esse deus.

---

209 auris R *quod fortasse in* aris *mutandum, ut intellegas aram Romae et Augustorum ad confluentem Araris et Rhodani* 211 cune V^1 cunnae BMP 212 hab.] erat R 213 *om. exemplar cod. R, ubi legitur* Deest are modicas (*prius* a *ex* o) V^1 anemoricas *uel* arem. *ss.* V^2 214 Non R amore RBMP 216 esse suis *om.* V^1 *suppl.* V^2 217 Soluimur R *a. c.* 219 cy (y *ex* i) mbis V^1 ũbis R lembis *Burmann* 220 Quorum V^1 crebre V^1, a *s. alt* e *scr.* V^2 222 nobilitate RBMP 223 pigrique R Pyrrhique M 225 ceret. V^1 Ceret. RBM Cerret. P 226 Agylla BMP 227 String. et *sed spatio uacuo relicto inter duo uerba* V^1RBP *nullo spatio uacuo* M hinc exesum *suppl. Barth* hinc canens *Müller* hinc effractum *Keene* effetum hinc *ego* 230 nomina BMP cornua V^1R *correxi* 232 Iani R 233 Tyrrh. *om.* V^1 *suppl.* V^2 immutauit. V^1 *corr.* V^2 menala V^1R 235 longo V^1 235 sem.] saecula *Müller* foetu V^1B fẹtu R

Ad Centum cellas forti defleximus Austro:
  Tranquilla puppes in statione sedent.
Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum,
  Angustosque aditus insula facta tegit;
Attollit geminas turres bifidoque meatu
  Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec posuisse satis laxo naualia portu:
  Ne uaga uel tutas uentilet aura rates,
Interior medias sinus inuitatus in aèdes
  Instabilem fixis aera nescit aquis;
Qualis in Euboicis captiua natatibus unda
  Sustinet alterno bracchia lenta sono.
Nosse iuuat Tauri dictas de nomine thermas;
  Nec mora difficilis milibus ire tribus.
Non illic gustu latices uitiantur amaro
  Lymphaue fumifico sulphure tincta calet:
Purus odor mollisque sapor dubitare lauantem
  Cogit, qua melius parte petantur aquae.
Credere si dignum famae, flagrantia taurus
  Inuestigato fonte lauacra dedit,
Vt solet excussis pugnam praeludere glebis,
  Stipite cum rigido cornua prona terit:
Siue deus, faciem mentitus et arma iuuenci,
  Noluit ardentis dona latere soli;
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
  Per freta uirgineum sollicitauit onus.
Ardua non solos deceant miracula Graios!
  Auctorem pecudem fons Heliconis habet:
Elicitas simili credamus origine nymphas,
  Musarum <ut> latices ungula fodit equi.
Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris
  Carmine Messalae nobilitatus ager;

---

237 centumc. BM Centums. P 239 conclaud. R 240 facta *om.* V[1] *suppl.* V[2] 242 arct. *sic* V[1]BMP arctatus R 243 Nec] *Hinc incipit* V[2] 247 euboias R natant. RP natalibus M 248 bracchia V[2] *expuncto pr.* c, brachia R *a. c.* BMP sono] sinu. f. *add. mg* V[2] 251 uitiatur R 252 Lymphaque V[2]RBMP *corr. Barth* 253. labantem V[2]BMP labentem R *corr. Simler* 258 thyreus *in mg. ad nomen* Agenorei (v. 261) *fortasse explicandum adscripsit* v; *postea eras.* 259 arma] ora BMP 263 graijs R 264 elionis R 265 lymphas R; *sed apte Helm contulit Mart. VI 43 2* 266 ut *suppl. Damm* 268 Messali R Messallae P

Intrantemque capit discedentemque moratur
Postibus adfixum dulce poema sacris.
Hic est, qui primo seriem de consule ducit,
Vsque ad Publicolas si redeamus auos,
Hic et praefecti nutu praetoria rexit;
Sed menti et linguae gloria maior inest.
Hic docuit, qualem poscat facundia sedem:
Vt bonus esse uelit, quisque disertus erit.
Roscida puniceo fulsere crepuscula caelo:
Pandimus obliquo lintea flexa sinu.
Paulisper litus fugimus Munione uadosum:
Suspecto trepidant ostia parua salo.
Inde Grauiscarum fastigia rara uidemus,
Quas premit aestiuae saepe paludis odor;
Sed nemorosa uiret densis uicinia lucis,
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas nullo custode ruinas
Et desolatae moenia foeda Cosae.
Ridiculam cladis pudet inter seria causam
Promere, sed risum dissimulare piget.
Dicuntur ciues quondam migrare coacti
Muribus infestos deseruisse lares.
Credere maluerim Pygmeae damna cohortis
Et coniuratas in sua bella grues.
Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus:
Vergentem sequitur mollior aura diem.
Inter castrorum uestigia sermo retexit
Sardoam Lepido praecipitante fugam.
Litore namque Cosae cognatos depulit hostes
Virtutem Catuli Roma secuta ducis.
Ille tamen Lepidus peior ciuilibus armis,
Qui gessit sociis impia bella tribus,
Qui libertatem Mutinensi Marte receptam
Obruit auxiliis urbe pauente nouis.
Insidias paci moliri tertius ausus
Tristibus excepit congrua fata reis.
Quartus, Caesareo dum uult inrepere regno,

277 Rosida RM fuls.] luxere R 279 numione R 280 hostia RBMP solo BMP 291 pygme. *sic* V^2RBMP 292 coniuratos V^2 302 fauente BM gemente R

Incesti poenam soluit adulterii.
Nunc quoque — sed melius de nostris fama queretur:
Iudex posteritas semina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores,
Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,
Quod Lepidum totiens reccidit ense malum.
Nec dum decessis pelagus permittitur umbris:
Natus uicino uertice uentus adest.
Tenditur in medias mons Argentarius undas
Ancipitique iugo caerula curua premit.
Transuersos colles bis ternis milibus arctat;
Circuitu ponti ter duodena patet:
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Isthmos
Ionias bimari litore findit aquas.
Vix circumuehimur sparsae dispendia rupis,
Nec sinuosa graui cura labore caret;
Mutantur totiens uario spiramina flexu:
Quae modo profuerant uela, repente nocent.
Eminus Igilii siluosa cacumina miror,
Quam fraudare nefas laudis honore suae.
Haec proprios nuper tutata est insula saltus
Siue loci ingenio seu domini genio,
Gurgite cum modico uictricibus obstitit armis
Tamquam longinquo dissociata mari:
Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos,
Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populauerat aequora bello
Contra naturam classe timendus eques:
Vnum mira fides uario discrimine portum
Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.
Tangimus Vmbronem; non est ignobile flumen,
Quod tuto trepidas excipit ore rates:
Tam facilis pronis semper patet alueus undis,
In pontum quotiens saeua procella ruit.

311 Quicq. R *p. c.* id est] idē R 312 recidit V^2RP 313 decessis *iure suspectum*, discussis *Almeloueen* detersis *Heinsius* pelago V^2RBMP *corr Baehrens* 314 uortice BMP 315 in] ad R 317 tern.] denis R arctat V^2R artat BMP; *cf. u. 242* 318 ter] qui R 319 ephir. R isthos R istmos M 324 modo] non BMP 326 nephas RM 329 uictoribus R *fortasse recte, cum* armi *pro* bracchiis *poni possint* 339 pronis *om.* R

Hic ego tranquillae uolui succedere ripae;
Sed nautas auidos longius ire sequor.
Sic festinantem uentusque diesque reliquit:
Nec proferre pedem nec reuocare licet.
Litorea noctis requiem metamur arena:
Dat uespertinos myrtea silua focos:
Paruula subiectis facimus tentoria remis,
Transuersus subito culmine contus erat.
Lux aderat: tonsis progressi stare uidemur,
Sed cursum prorae terra relicta probat.
Occurrit Chalybum memorabilis Ilua metallis,
Qua nihil uberius Norica gleba tulit;
Non Biturix largo potior strictura camino
Nec quae Sardonico cespite massa fluit.
Plus confert populis ferri fecunda creatrix
Quam Tartesiaci glarea fulua Tagi.
Materies uitiis aurum ferale parandis:
Auri caecus amor ducit in omne nefas,
Aurea legitimas expugnant munera taedas,
Virgineosque sinus aureus imber emit,
Auro uicta fides munitas decipit urbes,
Auri flagitiis ambitus ipse furit.
At contra ferro squalentia rura coluntur,
Ferro uiuendi prima reperta uia est:
Saecula semideum, ferrati nescia Martis,
Ferro crudeles sustinuere feras:
Humanis manibus non sufficit usus inermis,
Si non sint aliae ferrea tela manus.
His mecum pigri solabar taedia uenti,
Dum resonat uariis uile celeuma modis.
Lassatum cohibet uicina Faleria cursum,
Quamquam uix medium Phoebus haberet iter.
Et tum forte hilares per compita rustica fagi
Mulcebant sacris pectora fessa iocis:
Illo quippe die tandem reuocatus Osiris
Excitat in fruges germina laeta nouas.

---

345 arena *hic* V²RBMP; *cf. u. 59* 346 mirtea R myrthea M 350 pronae R 351 calybum V² calibum R 352 gl.] terra R 354 Sardonio BMP Sardoo *Burmann*; *cf. u. 296* 356 tartasiaci R Tartessiaci BMP squallentia V²B 365 *pro* nescia *scr.* inertia *sed exp.*, *mg. adscr.* nescia V² 369 sanabar BM 375 renouatus BMP Osyris BMP 376 in] iam R

Egressi uillam petimus lucoque uagamur:
Stagna placent saepto deliciosa uado.
Ludere lasciuos intra uiuaria pisces
Gurgitis inclusi laxior unda sinit.
Sed male pensauit requiem stationis amoenae
Hospite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Iudaeus agebat,
Humanis animal dissociale cibis:
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas
Damnaque libatae grandia clamat aquae.
Reddimus obscaenae conuicia debita genti,
Quae genitale caput propudiosa metit
— Radix stultitiae — cui frigida sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione sua:
Septima quaeque dies turpi damnata ueterno,
Tamquam lassati mollis imago dei.
Cetera mendacis deliramenta catastae
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam numquam Iudaea subacta fuisset
Pompeii bellis imperiisque Titi!
Latius excisae pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio uicta premit.
Aduersus surgit Boreas, sed nos quoque remis
Surgere; certamus, dum tegit astra dies.
Proxima securum reserat Populonia litus,
Qua naturalem ducit in arua sinum.
Non illic positas extollit in aethera moles
Lumine nocturno conspicienda Pharos;
Sed speculam ualidae rupis sortita uetustas,
Qua fluctus domitos arduus urget apex,
Castellum geminos hominum fundauit in usus,
Praesidium terris indiciumque fretis.
Agnosci nequeunt aeui monumenta prioris:
Grandia consumpsit moenia tempus edax.

---

377 petimusque (-que *om.* RP) lut(h *add.* BP)oque uagamur (- us R) RBMP petimus ludoque uacamus *Wernsdorf* 379 inter V^2RBMP *quod fortasse restituas; corr. Schrader* 382 anthiph. R 387 oscenae BM 388 prepud. (o *s.* e) V^2. 390 relig. RP sua est BMP. 391 Sept.] Optima R 396 Pompei R imperioque BMP 398 Vectoresque R 399 surgis V^2 *a. c.* 400 cum V^2RBMP *corr. Heinsius* 405 speculum V^2RBMP speculam. f. *mg.* v 407 fraudauit BMP 409 monim. BM

Sola manent interceptis uestigia muris:
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.
Non indignemur mortalia corpora solui:
Cernimus exemplis oppida posse mori.
Laetior hic nostras crebrescit fama per aures:
Consilium Romam paene redire fuit.
Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem uerum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Quo ueniens uersu <caperis>, carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies pridemque meos dignata penates
Poste coronato uota secunda colat:
Exornent uirides communia gaudia rami:
Prouecta est animae portio magna meae.
Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas:
Per quem malueram, rursus honore fruor.
Currere curamus uelis Aquilone reuerso,
Cum primum roseo fulsit Eous equo.
Incipit obscuros ostendere Corsica montes,
Nubiferumque caput concolor umbra leuat.
Sic dubitanda solet gracili uanescere cornu
Defessisque oculis luna reperta latet.
Haec ponti breuitas auxit mendacia famae:
Armentale ferunt quippe natasse pecus;
Tempore Cyrnaeas quo primum uenit in oras
Forte secuta uagum femina Corsa bouem.
Processu pelagi iam se Capraria tollit;
Squalet lucifugis insula plena uiris.
Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo uiuere teste uolunt.
Munera fortunae metuunt, dum damna uerentur:
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?

---

412 Ruderibusque R *Kapp qui* latis *in* altis *mutauit* late *Barth.* 415 Laetior] *Rursus incipit* V^1 417 cognouimus (sci *s.* ui) V^1 421 Quo ueniens uersu caperis] Cognomen uersu uen (Ven. BMP) eris V^1BMP Cognomen uenens *tantum* R *emendaui ego, emendationem probauit Tolkiehn.* Quo = quo nomine. 425 Exornant V^1 *a. c.* Exornet R 428 fruar BMP. 433 Hic V^1 *corr.* V^2 (?) 434 reperta] repente *docti aliquot uiri apud Castalionem* 437 cirneos R 439 craparia R 440 Squallet V^1RBM 441 monacos V^1BM

Quaenam peruersi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siue suas repetunt factorum ergastula poenas,
Tristia seu nigro uiscera felle tument.
Sic nimiae bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus:
Nam iuueni offenso saeui post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.
In Volaterranum, uero Vada nomine, tractum
Ingressus dubii tramitis alta lego:
Despectat prorae custos clauumque sequentem
Dirigit et puppim uoce monente regit.
Incertas gemina discriminat arbore fauces
Defixasque offert limes uterque sudes,
Illis proceras mos est adnectere lauros
Conspicuas ramis et fruticante coma,
Vt praebente uiam densi Symplegade limi
Seruet inoffensas semita clara notas.
Illic me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis siluarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus saeuos tolerauimus imbres:
Albini patuit proxima uilla mei.
Namque meus, quem Roma meo subiunxit honori,
Per quem iura meae continuata togae.
Non expectatos pensauit laudibus annos;
Vitae flore puer, sed grauitate senex.
Mutua germanos iunxit reuerentia mores,
Et fauor alternis creuit amicitiis.
Praetulit ille meas, cum uincere posset, habenas;
At decessoris maior amore fuit.
Subiectas uillae uacat aspectare Salinas;
Namque hoc censetur nomine salsa palus,
Qua mare terrenis decliue canalibus intrat

445 peruers is (er *alt. in ras.*) R carebris R 447 fatorum V[1] factorum. f. *mg.* v ex fato BMP 448 Bellorophonicis R Bellerophont(h *add.* M)aeis BMP 453 Volatera. V[1] 455 danumque frequentem R 456 mouente R 457 Incertus V[2]RBMP *corr. Castalio*; *ex hoc uerbo rursus incipit* V[2] 461 uiam] algam RBMP 463 chorus V[2]R coruus P 467 quem] dum R 471 uinxit R *fortasse recte* 472 *uerbo, ut uestigia litterarum ostendunt, persimili deleto*, alternis *s. l. praebet* R 474 Ad decess. (nte *s.* d) V[2] An decess. R Praedec. BMP *corr. Zumpt*

Multifidosque lacus, paruula fossa, rigat.
Ast ubi flagrantes admouit Sirius ignes,
Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager,
Tum cataractarum claustris excluditur aequor,
Vt fixos latices torrida duret humus.
Concipiunt acrem natiua coagula Phoebum,
Et grauis aestiuo crusta calore coit;
Haud aliter quam cum glacie riget horridus Hister
Grandiaque adstricto flumine plaustra uehit.
Rimetur solitus naturam expendere causas
Inque pari dispar fomite quaerat opus:
Iuncta fluenta gelu conspecto sole liquescunt,
Et rursus liquidae sole gelantur aquae.
O quam saepe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram!
Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,
Congressu expleuit mutua uota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris
Et colere externos capta Tolosa lares.
Nec tantum duris nituit sapientia rebus:
Pectore non alio prosperiora tulit.
Conscius Oceanus uirtutum, conscia Thule
Et quaecumque ferox arua Britannus arat,
Qua praefectorum uicibus frenata potestas
Perpetuum magni faenus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem,
Sed tamquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmae est illos inter uoluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.
Illustris nuper sacrae comes additus aulae
Contempsit summos ruris amore gradus.
Hunc ego complexus uentorum aduersa fefelli,
Dum uideor patriae iam mihi parte frui.

---

479 Syrius V^2. 481 Cum V^2RBMP *corr. Simler* 482 horrida V^2RBMP torrida. f. *mg.* v 485 Ister BMP. 486 abstricto R 487 solitas natura V^2RBMP solitus naturae *Castalio* solitus naturam *Baehrens* 489 Iuncta (*abscisso* I) V^2 Iucta R concepto *Baehrens* 495 Th(*exp.* h V^2)uscis V^2R 496 Excolere V^2 (*emendationis signo s.* x *posito quae tamen non comparet*), RBP Excoll. M *corr. Castalio* 498 Pectora BMP 499 Consulis BM Tyle V^2 Thyle R 500 Britanus BM 501 profect. R 502 foenus V^2RBM 504 orbe (o *in ras.*) R media-urbe *Mueller*

Lutea protulerat sudos Aurora iugales:
　Antemnas tendi litoris aura iubet.
Inconcussa uehit tranquillus aplustria flatus,
　Mollia securo uela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon
　Inter Pisanum Cyrnaicumque latus.
Auersor scopulos, damni monumenta recentis:
　Perditus hic uiuo funere ciuis erat.
Noster enim nuper iuuenis maioribus amplis,
　Nec censu inferior coniugioue minor,
Impulsus furiis homines terrasque reliquit
　Et turpem latebram credulus exul adit.
Infelix putat illuuie caelestia pasci
　Seque premit laesis saeuior ipse deis.
Num, rogo, deterior Circaeis secta uenenis?
　Tunc mutabantur corpora, nunc animi.
Inde Triturritam petimus: sic uilla uocatur,
　Quae latet expulsis insula paene fretis.
Iamque manus similis procedit in aequora saxis,
　Quique domum posuit, condidit ante solum.
Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
　Pisarum emporio diuitiisque maris.
Mira loci facies: pelago pulsatur aperto,
　Inque omnes uentos litora nuda patent;
Non ullus tegitur per bracchia tuta recessus,
　Aeolias possit qui prohibere minas;
Sed procera suo praetexitur alga profundo
　Molliter offensae non nocitura rati,
Et tamen insanas cedendo interligat undas
　Nec sinit ex alto grande uolumen agi.
Tempora nauigii clarus reparauerat Eurus,

---

511 udos *claudicante metro* R　512 aura] unda BMP　516 circaicumque R Cyrniac. P　517 Aduersus V²RBMP *corr. uir doctus in Miscellaneis Observationibus* (*Amstelaedami 1733*) *III p. 368*, *coll. Aen. III 272*　monim. B *cf. u. 409*　518 *Caue ne* perditus erat *iungas*. Erat *uerbum substantiuum est* = φύκει　521 terrasq.] diuosque BMP　522 agit V² BMP (*ex* eg. R *corr. Burmann*　525 Num] Nuc R Non *Barth*　526 Tum R　527 Trieteritam R T(t M)rituritam MP　529 Namque V²RBMP *correxi ego*　manu V²RBMP *correxi*　sim.] iunctis V²BMP　532 diuit.] deliciis *malebat Baehrens*　533 pulsantur *Barth*　535 Non nullus V² (*exp. alt.* n), R Nonnullus BM　539 caedendo V² credendo R　interrigat V²RBMP *corr. Castalio*　541 nauigijs R

Sed mihi Protadium uisere cura fuit.
Quem qui forte uelit certis cognoscere signis,,
Virtutis speciem corde uidente petat;
Nec magis efficiet similem pictura colorem
Quam quae de meritis mixta figura uenit.
Aspicienda procul certo prudentia uultu,
Formaque iustitiae suspicienda micat.
Sit fortasse minus, si laudet Gallia ciuem:
Testis Roma sui praesulis esse potest.
Substituit patriis mediocres Vmbria sedes:
Virtus fortunam fecit utramque parem,
Mens inuicta uiri pro magnis parua tuetur,
Pro paruis animo magna fuere suo.
Exiguus regum rectores cespes habebat,
Et Cincinnatos iugera pauca dabant.
Haec etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani Fabriciique foco.
Puppibus ergo meis fida in statione locatis
Ipse uehor Pisas qua solet ire pedes.
Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus,
Ex commilitio carus et ipse mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magister
Armigerasque pii principis excubias.
Alpheae ueterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus et Ausur aquis;
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt:
Intratur modico frons patefacta solo;
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.
Ante diu quam Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.
Hic oblata mihi sancti genitoris imago,
Pisani proprio quam posuere foro,

---

542 protandium R 544 petat] putat R, *unde fortasse Heinsianum illud confirmatur* uidere putet, *fortasse* corde uidente putet *scribere malis ut intellegas* = oculis animi reputet 546 mista BMP 552 utraque V^2BMP 556 uicinatos R cicinatos M 558 F (f R) abritiique V^2R 559 fida] tuta R 563 tegerem V^2 *a. c.* 565 Alphaeae V^2 Alphae M 566 ansur R 567 piram. R 573 Aulide diduc. R ethruria R 575-578 *om.* BM

Laudibus amissi cogor lacrimare parentis:
Fluxerunt madidis gaudia maesta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit aruis,
Fascibus et senis credita iura dedit.
Narrabat, memini, multos emensus honores
Tuscorum regimen plus placuisse sibi;
Nam neque opum curam, quamuis sit magna, sacrarum
Nec ius quaesturae grata fuisse magis;
Ipsam, si fas est, postponere praefecturam
Pronior in Tuscos non dubitabat amor.
Nec fallebatur: tam carus et ipse probatis:
Aeternas grates mutua cura canit;
Constantemque sibi pariter mitemque fuisse,
Insinuant natis qui meminere senes.
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent, et duplici sedulitate fouent.
Haec eadem, cum Flaminiae regionibus irem,
Splendoris patrii saepe reperta fides:
Famam Lachanii ueneratur numinis instar
Inter terrigenas Lydia tota suos.
Grata bonis priscos retinet prouincia mores
Dignaque rectores semper habere bonos,
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corythi populos arua beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati
Felix tam simili posteritate pater.
Huius uulnificis satyra ludente Camenis
Nec Turnus potior nec Iuuenalis erit.
Restituit ueterem censoria lima pudorem;
Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.
Non olim sacri iustissimus arbiter auri
Circumsistentes reppulit Harpyias?
Harpyias, quarum discerpitur unguibus orbis,
Quae pede glutineo quod tetigere trahunt,

---

579 tirrenis R Tyrrenis P 582 Thusc. R 583 curam *om.* R 584 uis R 586 thusc. R 589 sibi *om.* R 593 faminiae R Flamminiae BM 594 patris V[2] 595 nominis V[2]RBMP *corr. Simler* 596 T(t P)urrigenas BMP lidia R 599 Quale decius luculli R 600 Corythi (t *in ras.*) R Coryti P 603 satyra V[2]RBM C(c BMP)amoenis V[2]BMP 605 Instituit BMP 608 arpyas R 609 Arpias R decerp. BMP

Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum,
  Inter custodes publica furta uolant.
Sed non Lucillum Briareia praeda fefellit,
  Totque simul manibus restitit una manus.
Iamque Triturritam Pisaea ex urbe reuersus
  Aptabam nitido pendula uela Noto,
Cum subitis tectus nimbis insorduit aether;
  Sparserunt radios nubila rupta uagos.
Substitimus. quis enim sub tempestate maligna
  Insanituris audeat ire fretis?
Otia uicinis terimus naualia siluis,
  Sectandisque iuuat membra mouere feris.
Instrumenta parat uenandi uillicus hospes
  Atque olidum doctas nosse cubile canis.
Funditur insidiis et rara fraude plagarum
  Terribilisque cadit fulmine dentis aper,
Quem Meleagrei uereantur adire lacerti,
  Qui lasset nodos Amphitryoniadae.
Tum responsuros persultat buccina colles,
  Fitque reportantum carmine praeda leuis.
Interea madidis non desinit Africus alis
  Continuos picea nube negare dies.
Iam matutinis Hyades occasibus udae:
  Iam latet hiberno conditus imbre Lepus,
Exiguum radiis, sed magnis fluctibus, astrum,
  Quo madidam nullus nauita linquat humum.
Namque procelloso subiungitur Orioni
  Aestiferumque Canem roscida praeda fugit.
Vidimus excitis pontum flauescere arenis
  Atque eructato uertice rura tegi;
Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,

---

611 arguunt R lincea R 612 custodum. f. *mg. add.* v 615 triturrita R Trituritam BMP pisea R 616 uela *om* R not(t *in ras* R)ho V^2 R 617 Quin *falso pro* Quum R 624 olid. *om.* R canis *sic* V^2 627 meleagraei V^2BM Meleagrici P *inuito metro* 628 laxet V^2 *a. c.*, BM laxat P nodos *ex* nouas *ut uidetur* (*mg.* nodos) R amphitruoniade R 629 Tunc R buccina V^2R 630 reportando V^2P reportanda RBM reportanti *Castalio* reportantum *Heinsius* 631 aphricus R 632 necare R 633 hiades R Vdae BM 636 linquit BMP lignit R 637 Oarioni BM 638 Aestiferamque V^2 640 uortice BMP

Destituenda uago cum premit arua salo,
Siue alio refluus nostro conliditur orbe
Siue corusca suis sidera pascit aquis.

RVTILII CLAVDII (vel CLAVDII RVTILII) NAMATIANI
DE REDITV SVO

LIBER II.

Nondum longus erat nec multa uolumina passus:
Iure suo poterat longior esse liber.
Taedia continuo timuit cessura labori:
Sumere ne lector iuge paueret opus:
Saepe cibis affert serus fastidia finis,
Gratior est modicis haustibus unda sitis,
Interualla uiae fessis praestare uidetur
Qui notat inscriptus milia crebra lapis:
Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,
Quem satius fuerat sustinuisse semel.
Tandem nimbosa maris obsidione solutis
Pisano portu contigit alta sequi.
Adridet placidum radiis crispantibus aequor,
Et sulcata leui murmurat unda sono.
Incipiunt Appennini deuexa uideri,
Qua fremit aerio monte repulsa Thetis.
Italiam rerum dominam qui cingere uisu
Et totam pariter cernere mente uelit,
Inueniet quernae similem procedere frondi,

643 orbe colluditur R orbi *Müller*.

Rutilii claudii namatiani de reditu suo explicit liber I Incipit liber II V³ Explicit. liber primus | Claudii Rutilii Poete. | Incipit liber II | Claudii Ruti | lii Numanti | ani poete | dignis | simi (*mg.* IO : AND: CRV :) R Finis itinerarii primi. | Rutilii Claudii Numatiani de re | ditu suo itinerarii liber | secundus B Finis itinerarii primi | Rutilii Claudii Numatiani de re | ditu suo, Itinerarii Liber | secundus M Finis itinerarii primi | Rutilii. Claudii. | Numatiani. Galli | V̄. C̄. de. reditu. suo | itinerarii | liber secundus | ad. Venerium. Rufum P.

1 Non dum V³ 2 longior (or *in ras*) R 3 timui V³ 6 hausibus V³ siti. f. *mg. add.* V³ siti BMP 9 rubore R 10 semel] satis R 15 A(a R)pennini RP Appennini BM. 16 Tethis R

Artatam laterum conueniente sinu.
Milia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniae;
In latum uariis damnosa amfractibus intrat
Tyrrheni rabies Hadriacique salis.
Qua tamen est iuncti maris angustissima tellus,
Triginta et centum milia sola patet.
Diuersas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phoebus uterque diem:
Vrget Dalmaticos Eoo uertice fluctus
Caerulaque occiduis frangit Etrusca iugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur
Consiliumque dei machina tanta fuit,
Excubiis Latiis praetexuit Appenninum
Claustraque montanis uix adeunda uiis:
Inuidiam timuit natura parumque putauit
Arctois Alpes opposuisse minis,
Sicut uallauit multis uitalia membris
Nec semel inclusit quae pretiosa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi
Sollicitosque habuit Roma futura deos.
Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani quod fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Crudelis summis miscuit ima furor;
Dumque timet quicquid — se fecerat ipse timeri —
Immisit Latiae barbara tela neci:
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
Illata est clades liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat
Et captiua prius quam caperetur erat.

---

20 sinu *om.* R 23 latus *Wernsdorf* amphr. R anfr. BMP 24 tirreni (*ss.* h) R Tyrre. P Adriacique BM sali P 26 patens R 30 Caeruleaque R ethrusca V^3 31 Si *om.* R 33 A(a R) penn. RP Appeni. BM 34 adeunda (ade *in ras.*) R 36 Artois R 41 stilconis R Stiliconis BMP *Gyraldus* 42 qui P *Gyraldus* 45 se *om.* R re fecerat ipse timoris *uel* timendum *censeo scribendum* 47 *Post* Visc. *ras. in* R *ubi legitur* due *uel* duc, *fortasse initium uerbi* dumque, *ex uersu 45 iterati* 48 Illat(a)e cladis V^3RBP *correxi* liberiora V^3 49 pell.] e *et prior* i *et inferior pars et prioris et alterius* l *lacuna haustae in* V^3

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis:
Ante Sibyllinae fata cremauit opis.
Odimus Althaeam consumpti funere torris,
Nisaeum crinem flere putantur aues;
At Stilicho aeterni fatalia pignora regni
Et plenas uoluit praecipitare colos.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
Consumat Stygias tristior umbra faces;
Hic inmortalem, mortalem perculit ille;
Hic mundi matrem perculit, ille suam.
Sed diuerticulo fuimus fortasse loquaces:
Carmine propositum iam repetamus iter.
Aduehimur celeri candentia moenia lapsu:
Nominis est auctor sole corusca soror,
Indigenis superat ridentia lilia saxis,
Et leui radiat picta nitore silex.
Diues marmoribus tellus, quae luce coloris
Prouocat intactas luxuriosa niues.

* * *

---

51 Non R crassatus V^3BMP grassator R grassatus *Gyraldus* 52 sibill. R Sibyll. *Gyraldus* 53 Althe (ae *infra* e v) am V^3R Althae. *Gyraldus* 54 Niseam R flesse *ex* flexe R 55 Ast R S(s RM)tilico RBMP *Gyraldus* 57 *euanidus. in* R 58 stig. R 60 perculit *om.* R 61 diuert. *sic* V^3RBMP 62 preposito R proposito BMP 66 laeui BMP *** desunt in excuso quoque ab Onofrio Panuino in sua Roma *et manu recentiore* Fasscini *uel* Faffeini (*sic Heidrich,* Faffani *Keene*) est v Τελως | Heu seculorum Incuria Huius Elegan | tissimi Poet:, disideratur reliquum *et infra in taenia* Johannes. Andreas. Crucianus R Finis secundi B Finis M Reliqua desiderantur P.

INDEX NOMINVM





Prezzo: LIRE SEI